reipubl. perſonam ſancimus valere, non ſolum ſuper conſtantibus domibus & ſuburbanis, & hortis, & agris, ſed etiam ſuper ruinis ſive ex igne, ſive ex terræ motu, ſive ex qualibet alia cauſa ruina ſit, ſed etiam in iis quæ omnino deſtructa ſunt, & in pavimento jacent, ſive etiam in puris ruinis nullum ædificium habentibus neque materiam jacentem. Non enim in illis alienationem fieri permittimus, niſi in ſola emphyteuſi temporali, ſecundum quod dudum a nobis dictum eſt, & in tribus [1] perſonis talibus quales prædiximus. Ut neque ulla circumſcriptio in rem eccleſiaſticam in talibus fiat: duobus pro tempore primatibus [2] mechanicis, aut architectis, ſive in hac regia & maxima civitate una cum Deo amabilibus œconomis & quinque reverendiſſimis presbyteris, & duobus diaconis, præſente quoque Deo amabili epiſcopo: ſive etiam in provincia duobus inſignibus [3] mechanicis [4] aut architectis, aut etiam uno [5], (ſi unum ſolum civitas habeat) intervenientibus in illis locis, ſacroſanctis evangeliis poſitis definiatur ab architectis, quantum competat pro hoc ſolvi ſanctiſſimæ eccleſiæ ſecundum modum emphyteuſis: & in his emphyteuticam conſcriptionem in eo celebrari ſecundum figuram prius dictam. Illum vero & ædificare, & uti materiebus, ſi materias habeat, & transmittere emphyteuſim usque ad duas ſucceſſiones: (ſicut dictum eſt) & ſic reverti poſt trium perſonarum mortem ad ſanctiſſimam eccleſiam, aut venerabilem domum, ex qua facta eſt emphyteuſis, & etiam valere talem contractum, utpote præſenti non repugnantem legi. §. 3. Neque illud quod hactenus contra tales contractus agebatur, valere permittendum eſt de adjectione [6], ut ſi vel duorum heredum compleatur tempus, licentia ſit eis qui poſt illum ſunt, in emphyteuſim dare id unde agitur, & ſemper eos præponi aliis. In hoc enim nihil aliud eſt, quam per revolutionem & machinationem perpetuas eis emphyteuſeis, magis autem privationes eccleſiaſticarum agi rerum. Sed & ſi quid factum eſt tale: nullam neceſſitatem eſſe reverendiſſimis œconomis heredibus ceſſantibus [7], cæteris tradere.

CAP. IV.

Quomodo uſusfructus rerum ad ſancta loca pertinentium conſtituatur.

SI quis autem voluerit accipere ſecundum [8] rationem *Uſus* [9], *aut qui vocatur* [10] *Uſusfructus*, rem eccleſiaſticam aut ſanctiſſimæ majoris eccleſiæ, aut alterius cujuslibet, quæ in omni noſtra ditione ſunt poſitæ, aut ptochiorum, omnino percipiat hoc & ſecundum prædictam obſervationem, & ſecundum formam conſtitutionis [11] Leonis piæ memoriæ, ut iſte locuples exiſtens & ſubſtantiæ immobilis dominus, aliam [12] mox rem ſecundum proprietatis jus compenſet ſanctiſſimæ eccleſiæ, aut venerabili domui, ex qua percepit tantos & tales frequentes reditus, quantos aut quales habet. quod datur ita, ut poſt ejus obitum eccleſiaſtica aut ptochica res revertatur ad venerabilem domum cum uſu qui datus eſt, non tranſcendente tempus vitæ percipientis. Accipiat autem ſimiliter etiam rei in compenſationem datæ & uſum: quatenus ſit poſt percipientis obitum, aut tempus in quo donatio uſus convenit, non tranſcendens videlicet percipientis vitam: utrumque ex toto, & ſecundum proprietatem, & ſecundum uſum apud ſanctiſſimam Eccleſiam remanſurum.

CAP. V.

Quibus pœnis ſubjaceant qui alienationes prædictarum rerum fecerint.

QUia vero Leonis piæ memoriæ conſtitutio pœnas pene [13] ſolummodo in venditione decrevit, nos autem interdicimus non [14] venditiones ſolum, ſed etiam donationes & permutationes & perpetuas emphyteuſes, & pignorum dationes in rebus immobilibus: videmus autem quosdam ſic amatores periculi conſtitutos, ut præſumant ad ea quæ interdicta ſunt, accedere, & circumventionem facere legibus ex voluntate & præſumptione, quam habent, & quæ omnibus modis interdicta ſunt, & forſitan deducunt homines ad mortem, qui hoc agunt: propterea neceſſarium exiſtimavimus in unoquoque contractu etiam certam ſtatuere pœnam: his quippe pœnis quæ poſitæ ſunt adverſus œconomos ex conſtitutione prædicta piæ memoriæ Leonis, ſimiliter & nunc imminentibus œconomo, aut xenodocho, aut noſocomo, aut brephotropho, aut abbati aut abbatiſſæ monaſterii aut aſceterii, ſecundum quod prius diſpoſitum eſt. † Si quis igitur *emere* præſumpſerit rem eccleſiaſticam, aut ptochicam: cadat [15] quidem mox pretio: exigatur autem res quam accepit cum omni medii temporis incremento: & contra ſanctiſſimam quidem eccleſiam, aut venerabilem domum, nullam omnino habeat actionem: contra venerabiles vero œconomos, aut qui omnino vendiderunt, in propriis eorum ſubſtantiis ex contractu habeat actionem: ut metu ſuæ ſubſtantiæ, etſi non propter Dei timorem, tamen ſegniores circa venditionem fiant. §. 1. Si quis autem *per Donationem* [16] accipere præſumpſerit rem eccleſiaſticam aut ptochicam: & ipſo quod datum eſt, omnino cadat: & aliud tantumdem ex ſua ſubſtantia repenſet ſanctiſſimæ eccleſiæ aut venerabili domui ex qua hoc ſuſcepit, ut quam niſus eſt agere contra eam novitatem, hanc ſibimet in propriis exhibens, ſuam ſentiat malignitatem. §. 2. Si autem *Permutatio* [17] in quibusdam perſonis fiat præter [18] ſolum imperium, ſicut prædiximus: & qui permutationem accepit, ſubjaceat pœnæ, & datam ſibi rem amittat, & recurrat rurſus hæc ad venerabilem domum unde progreſſa eſt, & quod pro compenſatione dedit, maneat apud venerabilem domum, & qui acceſſerit ad cauſam legi contrariam, cadat utroque juſte: & ſecundum hoc pœnæ ſubdatur, ſecundum quod & propriis cadet, & quod ſperavit, non acquiſivit, etiam hic actione ei ſervata in propriam ſubſtantiam eorum, qui contractum cum eo celebraverunt.

CAP. VI.

Ut liceat res eccleſiæ generali hypothecæ ſubjicere, non autem ſpeciali.

SI autem creditor *in pignore* [19] *corporali* elegerit accipere rem immobilem eccleſiaſticam aut ptochicam, in domibus forſan, aut ſuburbanis, aut agris, aut hortis, aut civilibus panibus, aut ruſticis mancipiis, & dederit aurum, ab hoc cadat [20] creditor, & habeat lucrum quæ mutuum accepit ſanctiſſima eccleſia, aut venerabilis domus, quod mutuatum eſt aurum: etiam hic contra celebrantem mutuum œconomum, aut xenodochum, aut brephotrophum, aut præſulem monaſterii aut aſceterii, aut aliorum venerabilium collegiorum, creditori actione manente: his omnibus etiam in abbatiſſis muliebrium aſceteriorum aut monaſteriorum valentibus. §. 1. Si enim omnino ſanctiſſimis eccleſiis, aut aliis venerabilibus domibus crediti opus fiat, aut in ſolam neceſſariam videlicet & inevitabilem occaſionem, & præterquam non poterit quod imminet, adimpleri: aut in aliam cauſam utiliſſimam ſanctiſſimæ eccleſiæ conſiſtentem: licebit præpoſitis earum usque ad generalem [21] hypothecam ſtare, & nullum ſpeciale pignus creditoribus præbere.

CAP. VII.

Quibus pœnis ſubjaceant qui perpetuam emphyteuſim contraxerint.

SI vero & perpetuam quisquam emphyteuſim [22] accipere præſumpſerit, quod non [23] licet, aut temporalem quidem, non tamen ſecundum hujus noſtræ legis obſervationem; etiam ſic cadat quidem ab emphyteuſi, & quod datum eſt, maneat apud venerabilem domum. Det autem continuo, & poſt caſum emphyteumatis, quantum futurus erat ſolvere, ſi ſecundum legem ſubiiſſet emphyteuſim: nihil apud eum remanente ex rebus [24] pauperum, quæ fruſtra per emphyteuſim datæ ſunt. §. 1. Hæc igitur omnia cuſtodiantur prædictis ſubjecta pœnis: neque tabellionibus [25] præſumentibus inſtrumentis talibus miniſtrare, ſed metuentibus usque ad exilium, & ut nunquam revertantur, nec ſi ſacra hoc præbeat forma: neque judicibus vel dictare talia inſtrumenta præſumentibus, vel facta ſuſcipere, & geſtis monumentorum ea firmare: ne etiam ipſi & cinguli, & dignitatis, & ſubſtantiæ caſum ſecundum Leonis conſtitutionem [26] ſuſtineant.

CAP. VIII.

De alienandis ſacris vaſis.

IIsdem pœnis ſervandis etiam adverſus eos qui ſacrata vaſa contra noſtram legem aut pignori dant, aut vendunt, aut conflant propter alienationem: nam & illos æqua aut majori pœna dignos eſſe ſancimus, quanto etiam circa ſacras res, & Deo dicatas præſumpſerunt impie agere: niſi [27] tamen aliquid tale fiat, quod diximus circa redemptionem captivorum, ubi animæ hominum liberantur a mortibus, & vinculis, inanimatorum [28] venditione vaſorum. † Simili quippe obſervatione, & ſuper alienatione civilium panum [29] cuſtodienda, ſicut ſæpe diximus: eo quod tales panes non ſolum in hac feliciſſima civitate, ſed etiam in magna Alexandria, & in Theopoli [30] eſſe didicimus: forſitan autem tale quid, & in aliis provinciis quibusdam eſt. Si enim etiam alibi hujusmodi quædam ſit poſſeſſio, & in illa lex ſervetur, & ſuam obſervationem extendat.

CAP. IX.

De eo qui per pragmaticam rem eccleſiæ comparaverit.

QUia vero veriſimile eſt quempiam etiam in circumventionem hujus legis tentare pragmaticas [31] noſtras formas accipere, tale aliquid ei agere permittentes: & hoc prohibemus in omni perſona majore vel minore, ſive in cingulo conſtituta, ſive horum qui circa nos ſunt, ſive aliorum quiſpiam inter populos habitantium: & ſancimus nulli penitus licentiam eſſe, talem quempiam pragmaticum proferre typum, neque ex hoc accipere aliquod de ſanctiſſimis eccleſiis compendium, aut monaſteriis, aut ptochiis, aut aliis venerabilibus collegiis, immobilium rerum, ſed & glorioſiſſimo quæſtori [32] pœnam imminere centum librarum auri, ſi quid tale dictaverit: ſimul & ſuſcipientibus inſinuationem [33] talis cujuſpiam ſacræ formæ glorioſiſſimis judicibus, aut aliis quibusdam eandem imminere pœnam: & tabelliones ſuccumbere Leonis piæ memoriæ conſtitutioni, ſi egerint tale aliquod inſtrumentum: & Deo amabiles epiſcopos, aut venerabiles œconomos ſine periculo refutare hujusmodi ſacras pragmaticas formas, magis autem cum periculo ſuſcipere & agnoſcere: quia circa ipſum ſacerdotium [34] periculum ſuſtinebunt, ſi negligentes has leges, quæ ita fiunt, pragmaticas ſequantur formas. §. 1. Oportet enim ea quæ communiter & generaliter in omnium utilitatem ſanciuntur, potius [35] valere, quam ea quæ circa aliquos ſtudentur

1 Id eſt, usque ad nepotes. 2 Primates mechanicorum, vel architectorum obſerva. 3 Nobilibus. Julian. 4 Peritis in arte creditur. *Nov.* 64. *c.* 1. *l.* 6. *C. de re milit. l.* 1. *ff. de ventre inſpic.* 5 Unius teſtimonio fidem adhiberi obſerva, *ut hic.* verum hoc fit, quod artis ſuæ ſit peritus, nec plures alii reperiantur: & poſtremo quia non niſi juratus admittitur. 6 Emphyteuticarius non poteſt paciſci cum œconomo & epiſcopo: Ut, tribus perſonis defunctis, ſequentibus liceat ſucceſſoribus emphyteuſeos titulo res Eccleſiaſticas ab eccleſia capere, & aliis perſonis anteponi. Julian. 7 *Novell.* 120. *c.* 2. 8 Κατὰ λόγον χρήσεως ἤτοι τῦ καλυμένυ ὠσφρέκτυ. 9 Uſus vel uſusfructus temporalis ceſſio. *l.* 14. §. 5. *C. de ſacr. Eccleſ. Novell.* 120. *c.* 2. precaria. Ea permittitur in rebus eccleſiaſticis: fiebat autem ei ejusve liberis, qui rem ſuam Eccleſiæ donaſſet, remunerandæ ſcil. donationis cauſa, *can. precariæ. cauſ.* 10. *quæſt.* 2. & *Rhemenſis Synod. c.* 36. & 37. & *Turon. c.* 51. Id nonnunquam agitur, ut is, cui ceditur uſusfructus, certam penſionem ſive cenſum quotannis præſtet, *ut leg. Alemanorum tit.* 1. & ut renovetur ſingulis luſtris, *c.* 1. *x. de precar.* Quid differat a *libellaria* & emphyteuſi, vid. Cujac. 1. *feud.* 5. *fol.* 486. & 1. *feud.* 9. *in fin.* & Everardum *Topicis loco a feudo ad Emphyteuſim* 29. *n.* 56. Puto tamen, hic agi de uſu & antichreſi rei immobilis temporali, hinc inde dato & accepto aliquo, inter Eccleſiam & privatum aliquem divitem: de quo dixi ad §. 5. idque textus hic etiam innuit, ibi: *aliam mox rem.* 10 Precaria quemadmodum conſtituatur in rebus eccleſiaſticis. 11 Ea eſt *l.* 14. §. 5. *C. de ſacr. Eccleſ.* 12 Agitur hic de mutua datione uſusfructus. 13 Id eſt, in ſolis venditionibus. 14 Alienationes rerum Eccleſiaſticarum interdictæ, nimirum venditiones, donationes, permutationes, perpetuæ emphyteuſes, pignorum dationes in rebus immobilibus. 15 Pœna *ementis* rem eccleſiaſticam immobilem, vetitam alienari. 16 Pœna *dono accipientis* rem immobilem eccleſiaſticam. 17 Pœna privati, ex cauſa *permutationis* rem eccleſiaſticam accipientis. 18 Licet enim Imperatori rem immobilem cum eccleſia permutare. 19 Σωματικὸν ἐνέχυρον, pignus corporale, ſpeciale, opinor: quia corpus aliquod in ſpecie exprimitur, quod ſit obligatum. 20 Pœna accipientis *pignori* ſpeciali rem eccleſiaſticam. 21 Prædia, vaſa, veſtes Eccleſiæ, ſpecialiter pignori non poſſunt obligari, *ſ. h. t.* generaliter poſſunt, *ut hic.* Cur ita? Facilius generalis conceditur hypotheca quam ſpecialis. *l.* 1. *ff. de pign.* Ratio: ſpecialis obſtringit magis. Nunquam ergo res prædictæ pignorari poterunt? Imo poterunt: certis enim caſibus poſſunt etiam vendi: puta, redimendorum captivorum cauſa: qua de re dixi ad *l.* 21. *in fin. C. de ſacr. Eccl.* 22 Pœna non legitime, vel non ſolenniter rem eccleſiaſticam in emphyteuſim accipientis. 23 Hodie licet aliis eccleſiis quam Conſtantinopolitanæ majori. *Novell.* 120. *c.* 6. 24 Bona eccleſiæ, res pauperum. 25 Pœna tabellionis conficientis vetitum inſtrumentum in rebus Eccleſiaſticis. *l.* 14. §. 3. *C. de ſacr. Eccleſ.* 26 Id eſt, *d. l.* 14. 27 *l.* 21. *in fin. C. de ſacr. Eccleſ.* 28 Animæ ut redimantur, æquum eſt inanimata vendi. 29 Πολιτικῶν σιτήσεων. *Civiles panes. l.* 2. *Cod. de annonis civilibus.* 30 Id eſt, Antiochiæ. 31 Nec quidem ex pragmatica forma Principis, res eccleſiaſticæ poſſunt alienari. 32 Quæſtor, ſive cancellarius multari poteſt, ob reſcriptum legibus vetitum obſignatum, *ut hic.* 33 Judex aut Senatus inſinuationem permittens reſcripti legibus vetiti, multari poteſt. 34 Pœna Eccleſiaſtica, ſacerdotio privari. 35 Publica privatis præferenda.

agi

agi ad corruptionem communium legum. His ſolis videlicet conducendis, & emphyteuſi dandis rebus, quascunque putant tali aliquo egere.

CAP. X.

De adminiſtratore qui rem eccleſiæ alienavit.

SI tamen voluerint quædam ſub propria gubernatione habere Deo amabiles œconomi, aut aliorum præſules collegiorum: nulli eorum qui in potentatu ſunt, neque ſecundum ſacram pragmaticam formam licentiam eſſe, cogere eos, aut per conductionem, aut per emphyteuſim hæc tradere ei qui hoc agit: & ſacrilegii [1] ſubjacere pœnæ, & omnibus mulctis quæ hac noſtra lege ſacra continentur, & ſuppliciis.

CAP. XI.

De monaſteriis non alienandis.

QUia vero cognovimus aliquod peſſimum delictum factum & apud Alexandrinos, & apud Ægyptios, jam autem & in aliis quibusdam imperii locis quosdam præſumere ipſa venerabilia monaſteria [2] vendere, aut permutare, aut donare, (in quibus & [3] altare collocatum eſt, & [4] ſacrum [5] exhibitum miniſterium, quale moris eſt in ſanctiſſimis eccleſiis celebrari, ſacris quippe lectis [6] ſcripturis, & ſacroſancta & ineffabili communione tradita, & monaſtica illic facta habitatione) ita ut hæc mutarentur ex ſacro & Deo amabili ſchemate ad privatam manſionem & ſtatum: hæc omnino de cætero fieri prohibemus, nulli hominum permittentes hoc delinquere, ſed etiam factum infirmum omnibus declaramus modis, & pretiorum caſum imponimus accipientibus: venditorem quoque damnificamus, & rei caſu, & pretii amiſſione, ſanctiſſimæ eccleſiæ ejus loci, & venerabilibus monaſteriis hoc tribuentes: quatenus ipſi provideant, ut quod male alienatum eſt, rurſus ad monaſticam revocent figuram: neque hypotheca ſuper his valente, ſed etiam ipſa infirmanda, & rurſus ſacro monaſterio aſſignanda.

CAP. XII.

Si ſterilis ager ad eccleſiam pervenerit.

SIcut autem damnoſas alienationes prohibemus, ſic & damnoſas poſſeſſiones interdicimus. Multæ enim apud nos motæ ſunt quæſtiones, ubi quidam minus [7] idonea prædia donaverunt ſanctiſſimis eccleſiis, aut venerabilibus domibus, aut etiam vendiderunt tanquam idonea; cum utique ſterilia principio eſſent, & ex hoc venerabilibus domibus nocuerunt. interdicimus igitur rectoribus venerabilium domorum tale aliquid agere: aut certe cognoſcere, quia ſi non cum omni ſubtilitate fecerint contractus, ſed fœnea [8] quædam poſſeſſio aut damnoſa detur eccleſiis, aut monaſteriis, aut xenodochiis, aut noſocomiis, aut aliis venerabilibus collegiis: contractus quidem pro non facto erit, & recipiet omnino qui dat, quod per circumventionem, & fallaciam datum eſt. Oeconomus autem qui tale aliquid egerit, aut Abbas, aut Xenodochus, aut Noſocomus, aut Ptochotrophus, aut Orphanotrophus, aut Gerontocomus, de ſuo, ei qui dedit, ſalvabit ex hoc damnum. Si vero ſic cauſa figuretur, ut etiam aliquod aurum pro hoc detur: & hoc lucrabitur quidem venerabilis domus quæ fœneum [9] aliquod acceperit: qui vero aurum dedit, habebit contra eum qui contractum celebravit, ex hoc actionem, ſicut prædiximus.

EPILOGUS.

Hæc omnino a nobis ſuper eccleſiaſticarum, aut omnino ptochicarum [10] rerum alienatione poſita ſit Lex: Leonis quidem piæ memoriæ ſequens conſtitutionem, & non aliud quidem curans, aliud autem incuratum relinquens: ſed in omni terra quam Romanorum continet lex, & catholicæ eccleſiæ ſanctio, hæc extendatur, & determinet quæ ſua ſunt, & valeat perpetua & cuſtodita, & a ſanctiſſimis Patriarchis uniuscujusque diœceſis, & a Deo amabilibus Metropolitis, & ab aliis Epiſcopis, & Clericis, & Oeconomis, & Abbatibus, & Xenodochis, & Noſocomis, & Brephotrophis, & Gerontocomis, & Orphanotrophis, & omnibus ſimiliter rectoribus aliquorum ſanctorum collegiorum: omnibus imponens proprium robur: & licentiam præbens volenti *denuntiare* quæ delinquuntur. *Laudabilis enim hujusmodi eſt, & calumniatoris* [11] *effugiet nomen, qui cauſam contra leges factam redarguit, auctor pietatis & utilitatis ſacris domibus factus.* † Servabunt autem eam nihilominus & noſtræ reipublicæ judices majores & minores, civiles & militares: & præcipue per omnes diœceſes conſtituti glorioſiſſimi Præfecti ſacrorum prætoriorum: & medias [12] habentes adminiſtrationes, quos *ſpectabiles* vocant: dicimus autem Auguſtales, & proconſulares, & ſpectabiles comites, & alios Orientis, & qui poſt illos ſunt magiſtratus, hoc eſt provinciarum conſulares ſive præſides conſtituti, atque defenſores civitatum: & ſimiliter omne civile & militare & publicum auxilium, hanc noſtram legem, tanquam in communi utilitate, & pro totius terræ pietate poſitam ſervet: & prævaricatores ſubdat pœnis quas primitus diximus. † Si quid autem de conductionibus eccleſiaſticarum rerum aut in aliis capitulis ſancivimus, aut a prioribus noſtris ſancitum eſt: maneat hoc in propria firmitate: neque ex præſenti ſacra noſtra conſtitutione novandum. alia enim omnia manere in propriis terminis ſinimus: niſi tamen aliquid de iis habeat quæ hic conſtituimus: cum ſufficiat pro omnibus hæc lex ſuper id quod a Leone piæ memoriæ factum eſt, omnem adverſus ptochicas res auferre alienationis occaſionem. † Tua igitur beatitudo, & qui poſt illam in pontificialibus ſedibus fuerint, quæ a nobis diſpoſita ſunt, operi effectuique tradere feſtinet. Divinitas te ſervet per multos annos, ſancte ac religioſiſſime pater. Dat. 16. Kal. Maji, *Conſtantinop.* BELISARIO V. C. CONS.

TIT. II.

UT [13] JUDICES [14] SINE QUOQUO SUFFRAGIO [15] FIANT.

NOVELLA CONSTIT. VIII.

Imp. Juſtin. Auguſt. Ioanni præfect. præt. iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

OMnes nobis dies ac noctes contingit cum omni lucubratione & cogitatione degere ſemper volentibus ut aliquid utile, & placens Deo a nobis collatoribus præbeatur, & non in vano vigilias ducimus: ſed in ejusmodi eas expendimus conſilia, pernoctantes, & noctibus ſub æqualitate dierum utentes: ut noſtri ſubjecti ſub omni quiete conſiſtant, ſolicitudine liberati: nobis in nosmetipſos pro omnibus cogitationem ſuſcipientibus; per omnem namque curioſitatem & inquiſitionem ſubtilem diſcurrimus, illa agere quærentes: quæ utilitatem noſtris ſubjectis introducendo, omni eos onere liberent, & omni damno extrinſecus illato citra publicum cenſum, & juſtam legitimamque collationem. Invenimus enim plurimam ingreſſam cauſis injuſtitiam: & hanc non olim, ſed ex quibusdam temporibus violenter acceſſiſſe, & omnes noſtros ſubjectos ad inopiam compuliſſe, ut ad noviſſimam ipſi penuriam devenire fluctuarentur, & neque conſueta & legitima tributa, & pro veritate pias functiones ſecundum publicum cenſum poſſint ſine maxima neceſſitate perſolvere. Quomodo enim valerent collatores, cum ex aliquo tempore imperatores ſemper aliquid lucrari ex proventu judicum cogitarent, & merito hos ſequerentur etiam glorioſiſſimi præfecti, ex hac injuſtitia, damnis extrinſecus illatis, ſolennibus piis collationibus ſufficere? §. 1. Cogitatio igitur nobis facta eſt, quod agentes omnia quæcunque in noſtris provinciis ſunt: uno actu communi ad meliora migraremus. Hoc enim omnino eventurum credimus, ſi præſides gentium quicunque civiles adminiſtrationes provinciarum habent, *puris* [16] procuremus uti *manibus*, & ab omni abſtinere acceptione, pro illis ſolis contentos eis, quæ a fiſco dantur. Quod non aliter fiet, niſi & ipſi cingula ſine mercede percipiant, nihil omnino dantes nec occaſione ſuffragiorum, neque iis qui cingula habent, nec alii omnium ulli. Conſideravimus enim, quia licet quæſtus immodicus imminuitur imperio, attamen noſtri ſubjecti incrementum maximum percipient, ſi indemnes a judicibus conſerventur: & imperium *& fiſcus abundabit utens ſubjectis locupletibus* [17]: & uno hoc introducto ordine, plurima rerum & innumera erit ubertas. An certe non omnibus manifeſtum eſt, quoniam qui [18] aurum dat, & ita adminiſtrationem emit: non dat hoc ſolum quantum occaſione adinventum eſt ſuffragiorum, ſed & aliud extrinſecus addit amplius occaſione commodi adminiſtrationem aut dantibus aut ſpondentibus? & ſic *uno* [19] *principio illicito dato plurimas neceſſe eſt manus circumire eum qui donationem facit*: & hoc non de ſuo forte præbere, ſed mutuatum, & ut mutuare poſſit, damnificatum, & computare apud ſe, quia convenit eum tantum ex provincia percipere, quantum liberet ei quidem debitas ſortes & uſuras, & damna pro ipſo mutuo: computabit autem & in medio expenſas largiores, jam & judici & qui circa ipſum ſunt, convenientes: & quendam etiam ſibimet recondet quæſtum in tempore ſequenti, in quo forte non adminiſtrabit. Quapropter ejus quod ab eo datum eſt, triplum, magis autem, ſi oportet verius dici, decuplum erit, quod a ſubjectis noſtris exigitur: & ex hoc etiam fiſcus imminuitur: nam ea quæ oportebat in fiſcum [20] inferri, eo quod adminiſtrationem habet puris utentem manibus: hoc ad propriam utilitatem redigens qui adminiſtrationem habet, & inopem faciens nobis collatorem, inopiam ipſius quæ per ipſum agitur, nobis reputat & quanta impie talia fiunt, ad horum furtorum merito relata occaſionem? Adminiſtrationes namque habentes provinciales, ad hanc acceptionem reſpicientes, multos quidem reorum dimittunt, vendentes [21] eis delictum: plurimos autem innoxiorum condemnant, ut noxiis præſtent, & hoc non ſolum in pecuniariis cauſis agitur, ſed & in criminalibus [22], ubi de anima [23] eſt periculum: fugæque fiunt ex provinciis, & confluunt huc omnes ingemiſcentes ſacerdotes, & curiales, & officiales & poſſeſſores, & populi, & agricolæ, judicum furta merito & injuſtitias accuſantes: & hæc non fiunt ſola, ſed etiam civitatum ſeditiones, & publicæ turbæ plerumque pecuniæ cauſa fiunt atque ſedantur: & omnino una quædam eſt hæc omnium occaſio malorum: & accipere [24] ſuffragium a judicibus, totius nequitiæ eſt principium, & terminus. eſt quoque hoc ſacrorum eloquiorum mirabile & verum, quod avaritia [25] omnium ſit mater malorum: maxime quando non privatorum, ſed judicum inhæret animabus. Quis enim ſine periculo non furetur? quis non latrocinabitur ſine reatu ad adminiſtrationem reſpiciens? Illum namque videns [26] omnia auro vendentem, & præſumens, quia quicquid

1 Reſcriptum in perniciem Eccleſiæ qui impetrat, ſacrilegii tenetur. 2 *Nov.* 120. *c.* 7. §. 1. 3 Ἐν οἷς μοναστήριόν τε καθηδρύνθη, in quibus monaſterium extructum eſt, Scrimg. & male: meminit enim Julianus vetus interpres altaris. 4 Jul. Anteceſſor Miſſam interpretatur hoc loco & *Novell.* 50. Et eo verbo ſæpe uſi ſunt veteres: ut hic recte notat Cujacius. 5 Sacrum miniſterium. ἱερὰ γέγονε λειτουργία. Scrimg. & ſacra Miſſa facta. Julian. Hinc colligunt, non in omnibus monaſteriis liturgiam celebratam. Porro Miſſæ vocabulo idem Julian. utitur *Novell.* 58. Eodem utitur Ambroſius, ut alii quidam, qui tamen omnes dicunt Miſſas agere vel facere, non canere. Cornel. *in epiſt.* adde Cujac. *hic.* De liturgia dixi ad *l.* 5. §. 6. *ff. de jur. immun.* 6 In liturgia, ſive Miſſa, legebantur ſacræ Scripturæ & ſacroſancta & ineffabilis communio tradebatur, *ut hic.* Goth. De lectione Sacr. Script. vid. *Novell.* 144. *c.* 2. *Novell.* 146. *Item Novell.* 133. *c.* 2. *Novell.* 141. *c.* 1. Anſ. 7 Ἄπορα χωρία. 8 Ἄπορός τις κτῆσις, fœneum aliquod. J. *h. t.* ſic Imperatores in *l.* 3. *C. Th. de indulgent. debit. lib.* 11. *tit.* 28. fœneos defectosque fundos appellant nullius pretii vel reditus. vid. Cujac. 8. *obſerv.* 40. 9 De fœnea poſſeſſione dixi ſuperius. 10 Ptochicæ res, quæ ad pauperes pertinent. 11 Calumniati non videntur, qui legibus vetita redarguunt. *l.* 5. *C. de injur. l.* 18. *l.* 33. *ff. de injur.* 12 Spectabilium medius ordo. Spectabilis dignitas, media eſt inter ſenatorias. Supra ſpectabiles ſunt illuſtres: infra clariſſimi. Quartus ſenatorum gradus non eſt. Extra ſenatum equeſtris, perfectiſſimus & egregius. Cujac. *ad l.* 1. *C. de dign.* 13 Adde *Nov.* 161. 14 Idem in epiſcopis & ſacerdotibus. 15 Χωρὶς τῆς οἱασοῦν δόσεως, Scrimg. ſine pecunia. Julian. Suffragium, pecunia eſt, quæ ſuffragatoribus aulicis datur, promitti turve honoris adipiſcendi cauſa. Ex qua cauſa erat actio, Si certum petatur, de ſuffragio. vide *l. unic. C. de ſuffragio.* Quæ eo nomine a principe accipiebantur ſuffragia, δεσποτικὰ vocantur. J. utrumque Juſtinianus tollit hac Novella, adde *d. Nov.* 161. *c.* 2. ſecutus legem *ult. C ad l. Jul. repetund.* quæ vetat ſuffragii nomine quid dari ſuffragatori, vel rationibus publicis inferri, adde *Nov. Th.* 161. Goth. Ad hanc Novell. vid. Ritterſhuſ. & *part.* 12. *c.* 4. *part.* 2. *c.* 2. *num.* 12. & 13. Kinſchot. *Reſp.* 38. *n.* 3. Anſ. Adde, quæ de eo, quod ſuffragii nomine datum aut promiſſum, notavimus *Cenſur. Forenſ. lib.* 4. *c.* 14. *num.* 12. & *ſeq.* S. L. 16 [illegible] ſus pura eſſe oportet judicibus, vide Harm. *initio operis.* 17 Intereſt reipublicæ, locupletes habere ſubditos. 18 Hinc illud Alexandri Severi apud Lampridium: Neceſſe eſt, ut qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores poteſtatum: quos ſi patiar, damnare non poſſim. Erubeſco enim, punire illum hominem, qui emit & vendit. Seneca 1. *de beneſ. in fin.* Provincias ſpoliari, non mirum, quando, quæ emeris, vendere jus gentium eſt: vice verſa æquum eſt, ut qui non emit, non vendat. 19 Dato vel conceſſo uno abſurdo vel incommodo, plura ſequuntur. 20 Judicum voracitas fiſcum minuit. 21 Adde *l.* 4. *ff. ad l. Corn. de ſicariis.* 22 Criminale judicium eſt ubi de anima periculum eſt. 23 Hoc eſt, de vita. 24 Principium nequitiæ judicialis eſt, ſuffragium ab eis accipere. 25 Avaritia malorum mater, præſertim in judice, *Luc.* 12. *verſ.* 15. & *ſeq.* 1. *Corinth.* 6. *verſ.* 10. 26 Spes impunitatis homines ad delicta committenda reddit audaciores.

egerit

egerit illicitum, hoc pecunias dando redimet: hinc homicidium, & adulterium, & invaſiones, & vulnera, & raptus virginum, & commerciorum confuſio, & contemptus legum & judicum, omnibus hæc venalia propoſita eſſe putantibus, tanquam aliquod vilium mancipiorum. Sed neque ſufficimus conſiderare & exponere quanta ex furto provincialium judicum fiunt peſſima: nullo [1] eos præſumente cum fiducia redarguere: cum illi repente ſe emiſſe cingula pronuncient.

CAP. I.

De magiſtratibus ſine ſuffragii datione creandis.

HÆc omnia apud nos cogitantes, & hic quoque participem [2] conſilii ſumentes eam, quæ a Deo data eſt nobis reverendiſſimam conjugem, & tuæ celſitudini cauſam communicantes, & quædam etiam a tuo ſumentes conſilio, ad hanc ſacram venimus legem per quam ſancimus, neque [3] proconſulariam ullam, neque hactenus vocatam vicariam, neque comitem Orientis, neque aliam quamlibet adminiſtrationem, neque proconſularem, neque præſidalem, (quas conſularitias & correctivas vocant) quarum expreſſim meminit ſubjecta huic ſacræ legi noſtræ deſcriptio, quasque ſolas ſub hac lege ducimus dare aliquod ſuffragium, neque pro adminiſtratione quamlibet donationem, neque judici ulli, neque horum qui circa adminiſtrationem ſunt alicui, neque alteri per occaſionem patrocinii: ſed gratis quidem ſumere adminiſtrationes: pauca vero præbere occaſione eorum, quæ pro cingulis dantur codicillis & chartis [4], nam ſubjecimus etiam deſcriptionem [5] huic ſacræ noſtræ legi, declarantem quid competat unamquamque adminiſtrationem noſtram præbere in ſacro noſtro laterculo, aut in foro tuæ celſitudinis occaſione codicillorum, aut præceptorum: unde & illud abbreviatum eſt, ne præſtet illi maximum damnum.

CAP. II.

De Vicario Aſianæ & præſide Phrygiæ [6] in comitis Phrygiæ Pacatianæ nomen translatis.

ILlud tamen decernimus, oportere *Vicarium* [7] *Aſianæ*, qui eſt quoque judex Pacatianæ Phrygiæ, non ulterius quidem ita nuncupari, ſed de cætero *comitem Phrygiæ Pacatianæ* nominari: & percipere de fiſco quæ etiam nunc occaſione annonarum & capitum pro utraque adminiſtratione percipiebat, nihil horum imminuto: non autem duobus officiis uti: ſed permixtum & judicis & vicarii unum eſſe, comitianum exiſtens & nominatum: periculo functionum publicarum & ei & omnibus ſimiliter imminente: utpote uno officio conſtituto, non dividendo penitus, ſed per unam continuationem militantibus univerſis: quod accipiet quidem propter duplex periculum, annonas, & capita: quæ utraque pridem percipiebat officium: non tamen in altera quadam adminiſtratione pridem quidem vicarium, nunc autem ſpectabilem comitem in Pacatiana Phrygia, non habentem penitus ullum participium in aliis Aſianæ provinciæ diœceſibus [8]: ſed habentem quidem ſpectabilis comitis Pacatianæ Phrygiæ cognominationem, contentum vero in ſola Pacatiana, ſicut prædiximus, Phrygia.

CAP. III.

De vicario Ponticæ *ſublato* [9] *& in comitis Galatiæ primæ nomen translato* [10].

HOc autem ipſum & in alterutro pridem *vicario* definivimus: dicimus autem eum qui eſt in Pontica [11] diœceſi, ut non duo conſiſtant de cætero: ſed unus *Comes* quidem *Galatiæ* [12] *primæ* nominandus, & habiturus etiam ſuper milites poteſtatem, ſicut habet *& nunc*: & utriusque cinguli percepturus annonas, non tamen foris primam Galatiam: nullam etenim ei aliam penitus damus habere poteſtatem in *ulla Pontica* regione, ſed in ſola *Galatia prima*, officio quidem miſcendo, & ſecundum unam (ſicut dictum eſt) intelligendo & numerando conjunctionem, comitiano exiſtente & nominando: nulloque penitus eorum ad alios habente aliquam differentiam: ſed unum eſſe officium ſub uno judice unius provinciæ præſule: omni ſimili officio una cum ſuo judice circa fiſcalia periculum ſuſtinente.

CAP. IV.

Ut nulli judicum liceat mittere vicarios.

NUlli [13] quoque judici [14] penitus concedimus neque civili neque militari mittere per civitates provinciæ quibus præſidet, eos, qui vocantur *loci ſervatores*, ſcientibus [15], quia ſi quid tale fecerint, ipſi cadent adminiſtratione, præſumentes alios in officium elevare [16].

CAP. V.

Ut Comitis orientis & præſidis Antiochiæ officium miſceatur.

HOc autem ipſum [17] dicimus & in clariſſimo comite Orientis [18], & clariſſimo judice: & illic enim unam adminiſtrationem utramque facimus, habentem quidem & ſpectabilis comitis Orientis nomen: officio vero præſidente comitiano exiſtente & nominando: & primæ ſolius *Syriæ & Syriſtenſis* [19] *præſidente*, & utriusque adminiſtrationis annonas habente, æqualem namque vicariis illum ponimus, ut & ipſe cum ſubjecto ſibi officio periculum habeat, & pro fiſcalium exactione, & pro civili & publica diſciplina.

CAP. VI.

Ut omnes privati præſidibus ſubjaceant, & executores quoque urbis Conſtantinopolitanæ.

VOlumus autem omnes judicibus [20] noſtrarum provinciarum omnes ſubdi: privatos [21] quidem, ſecundum quod cinguli proprium præmium eſt, in omnibus cauſis [22], & univerſis pecuniariis & criminalibus occaſionibus. Qui vero in militiis conſtituti ſunt (& propriis judicibus deputati) etiam iſtos nihilominus occaſione fiſcalium & criminalium ſubdi omnibus eis modis. Sed etiam eos qui hinc [23] deſcendunt, & ex quolibet foro, qui quacunque exequuntur ſententias, licet provinciarum judicibus non ſinere amplius aliquid quam facta noſtra conſtitutione diſpoſitum eſt, percipere [24] ſportularum: ſcientibus quia ſi hoc neglexerint, omne damnum ex hoc noſtris collatoribus illatum, ipſi perſolvent. † Damus autem licentiam eis & referre de eo non ſolum ad judices, a quibus ſunt miſſi, ſed etiam ad nosmetipſos: ut nos hanc agnoſcentes cauſam competenter exequamur. † Si autem ipſi aliquos invenerint propter dignitatis & cinguli [25] ſupercilium noſtris collatoribus violentias irrogantes, licentiam eis damus etiam examinare violentias, & reos inventos punire [26] cingulo: & noſtrum ordinem in provinciis adimplere: hoc quod etiam veteribus dictum eſt legibus. Sicut enim eos omni injuſto lucro prohibemus: ita etiam pure cingulis utentes, omni honore & reverentia & honeſtate frui ſancimus.

CAP. VII.

De jurejurando a præſidibus præſtando, quod pecuniam nec nomine quidem ſuffragii dederint.

SIc igitur a nobis cingulis [27] diſcretis, convenit eum qui ſic acceperit adminiſtrationem, cum Dei memoria coram [28] nobis, aut ſi non vacat, coram tua celſitudine, & qui tuam rexerint ſedem, & qui ſemper fuerit glorioſiſſimo comite ſacrarum noſtrarum largitionum, & glorioſiſſimo quæſtore ſacri noſtri palatii, & glorioſiſſimo comite ubique ſacrarum noſtrarum privatarum rerum, præſente quoque & per tempora magnificentiſſimo chartulario [29] ſacrorum noſtrorum cubiculorum, qui codicillis his apud nos miniſtrat, jusjurandum dare, *nihil penitus nec quodlibet ſe præbere, neque occaſione ſuffragii* [30], *neque patrocinii, & neque promittere, & neque de provincia profiteri dirigere, neque glorioſiſſimis præfectis, neque aliis cingula habentibus, neque iis qui circa eos conſtituti ſunt, nec alteri cuilibet per occaſionem patrocinii: ſed ſicut ſine ſuffragio* [31] *accepit adminiſtrationem, a publico percepturus annonas:* (has enim ſolas accipere eum ſinimus) *ſic eam puris cuſtodire manibus Deo & nobis pro ea redditurus rationem.* † Sciat enim tua celſitudo, & qui poſt te easdem conſcenderint ſedes: quia ſive ipſi præſumpſerint accipere quicquam ab iis, qui ad prædictas adminiſtrationes accedunt, ſive proceres ipſi, ſive etiam officium tuum, ultra ea quæ occaſione conſuetudinum [32] a nobis eis definita ſunt: quæ ſcilicet ſufficere ſola putantes, dari decrevimus: non [33] in parvis pœnam fieri: ſed maximi quidem judices accipere aliquid præſumentes ab iis, qui ad adminiſtrationes accedunt, aut etiam permittentes ſuum officium [34] tale aliquid agere, & nunciatum non emendantes: non ſolum quadruplum reddent totius quantum perceperunt, ſed etiam magnam indignationem ſuſtinebunt, & cinguli periculum formidabunt: & qui circa eos ſunt, & obediens eis officium, ſi amplius aliquid quam a nobis conceſſum eſt, tentaverint accipere, ipſi quoque ſubjicientur damnis quadruplæ redditionis, & cadent etiam ſubſtantia & [35] cingulo: inſuper & ſuppliciis ſubjacebunt quæ congruunt delictis eorum.

CAP. VIII.

Ut præſides [36] *tributorum exactioni diligenter incumbant.*

EOs autem qui ita ſine mercede ſumunt adminiſtrationes, præ omnibus ſtudium habere decet fiſcalia [37] vigilanter inſpicere, & indevotos quidem & egentes neceſſitate, cum omni exigere fortitudine, in nullo flexos, neque pro hoc ipſo lucrum aliquod omnino conſiderantes: devotis autem paterne ſe exhibere: deinde noſtros ſubjectos reſervare undique ſine violentia, nihil ab ullo eorum percipientes: ſed æqui ſint in judiciis; æqui vero in publicis diſciplinis: exequentes quoque delicta, innoxios quidem undique cuſtodientes eos, qui puri ſunt: reis autem pœnam imponentes ſecundum [38] legem: & ita præſidentes collatoribus, tanquam [39] patres filiis: diligentes quidem eos qui ſunt innocentes: qui vero rei monſtrantur, caſtigantes ac punientes: omnemque juſtitiam in publicis & privatis documentis eis ſervantes: & non

1 Provinciales non ſine metu ſuos præſides audent accuſare. 2 Imperator conſilium ſumit ab uxore. Auguſtas, id eſt, Imperatrices ſic a principe in conſilium adſumi, jus receptitium eſt & antiquum. Sic Octavius Auguſtus Liviæ uxoris conſilium ſaluberrimum admittit apud Senecam 1. *de Clementia* 9. 3 Omnes magiſtratus ſine pecunia creandi. Jul. 4 Chartiaticon eſt, quod pro chartis datur. 5 Notitia quid, vide *infr. h. t.* 6 *Novell.* 145. 7 Quatuor olim fuerunt vicarii in oriente Aſianæ diœceſeos, ut hic, Ponticæ, Thraciæ, Macedoniæ. *l. ult. C. de diverſ. off. & appell. judic.* Erat & præſes Phrygiæ Pacatianæ. Ex vicario Aſianæ & præſide Phrygiæ Pacatianæ, fit hic comes Phrygiæ Pacatianæ, qui in ea tantum provincia juriſdictionem habet, non in univerſum tractum Aſianum. 8 Diœceſes provinciæ. 9 Poſtea hic vicarius reſtitutus Edicto 8. 10 Cum antea fuiſſet *vicarius Ponticæ* & conſularis Galatiæ primæ, pro utroque unus conſtituitur, Comes Galatiæ primæ, qui in ea tantum, non in cæteris provinciis Pontici tractus juriſdictionem exerceat, ſed Edicto 8. reſtituitur *vicarius Ponticæ.* 11 Galatia a Gallis dicta. Stephanus *lib. de urbibus*, γαλάται. eadem & Gallogræcia. vid. *Juſtinum* 25. 12 Hic derogatur titulo de officio ejus, qui vicem alicujus judicis obtinet. 13 Præſidi provinciæ. Idem dicendum de defenſore civitatis, cui non licet vicarium copulare. 14 Τοποτηρητὰς ſeu vicarios. Julian. *Nov.* 17. 128. *c.* 20. 134. *c.* 2. *ubi vide.* Hi in ſingulis municipiis abſentium vicem ſuſtinent. Delegati plerumque ſequuntur præſides, ut legati proconſules. Vicarii munus erat exſequi ſententias præſidum. *l.* 2. *C. de off. ejus qui vicem alicuj.* excepto jure gladii, *Nov.* 128. *cap.* 20. 15 Cur ita? quia in ſingulis civitatibus defenſores civitatum præſidum vice funguntur. 16 Quod ſcilicet diximus de vicario Africæ, & præſide Phrygiæ *cap.* 2. de vicario Ponticæ *c.* 3. *ſupr.* 17 Pro Comite Orientis & conſulari ſive præſide Syriæ, *l.* 1. *C. de off. comit. Orient.* conſtituitur hic Comes, qui in Syria prima tantum adminiſtrationem habet. De minuto jure Comitis Orientis vid. Cuj. 8. *obſ.* 21. 18 Καὶ τῶν κυριευτικῶν. Scrimg. καὶ τῶν Κυῤῥεστικῶν ἡγουμένου. Haloandri Græca editio: & Cyrenenſis. Hal. *Latina editio.* Quiriſtica, *Julian.* Cyrrheſtica Cujac. 8. *obſ.* 21. Cic. 5. *ad Attic.* 18. Hoſtis in Cyrrheſtica, quæ Syriæ pars proxima eſt. 19 Præſidibus. 20 Ἰδιώτας, plebejos paganos, ut ſit ſenſus, Præſides juriſdictionem habere in paganos omnibus in cauſis: in milites, in cauſis tributorum tantum & ſimilibus cauſis *&c.* 21 Κατὰ τὸ τῆς ἀρχῆς ἴδιον. Scrimg. prout juriſdictionis proprium eſt. *Hal.* 22 Militaribus, vid. *tit. C. de off. militantium judicum.* 23 Id eſt, ex urbe Conſtantinopoli in provinciis magiſterianos & præfectianos intelligit. 24 Adde *Novell.* 17. *c.* 3. *Nov.* 86. 124. 25 Id eſt, adminiſtrationis. 26 Privare cingulo, eſt privare dignitate & adminiſtratione. Cingulum enim pro adminiſtratione ſumitur, *l.* 2. *C. ut dignit. ordo.* & *infr.* cingula diſcernere *c.* 7. 27 Cingula Græci vertunt, ἀρχὰς: magiſtratus a Juliano dicuntur. 28 Jurare apud quem magiſtratum geſturi ſoleant. 29 Chartularium ſacrorum cubiculorum obſerva. duplex cubiculum fuit Auguſti & Auguſtæ. 30 Juramenti a magiſtratum inituris præſtandi formulam obſerva. adde *Nov.* 9. 161. *c.* 1. *l. ult. C. ad l. Jul. repetund.* Goth. Vid. Cicer. *Ep.* 1. & Caſſiod. *l.* 11. *var. c.* 8. C. Tacit. *Ann. l.* 4. Quibus adde, quæ de noſtris & aliorum moribus notavimus, *Cenſ. Forenſ. l.* 4. *cap.* 14. *num.* 13. *& ſeqq.* S. L. 31 *Cap.* 1. *ſupr. h. t.* 32 Id eſt præter conſuetudines a principe definitas. Conſuetudo, *l'ordinaire.* 33 Id eſt, pœna non levis infligitur. 34 Id eſt, ſuos officiales. *officiers.* 35 Καὶ ὀσίας, καὶ ζώνης. 36 *Novell.* 161. *c.* 2. Edictum 4. *c.* 2. §. 2. 37 Δημόσια. Scrimg. exactiones tributorum. Julian. 38 Pœnæ ex legibus ſtatuendæ. 39 Judicis munus, præſidere & ſe gerere ad inſtar patris erga filios, *cap.* 10. *infr.*

ipſi ſoli hoc agentes, ſed etiam ſemper conſiliarium [1] talem ſumentes, & qui circa eos ſunt omnes, ut non videantur illi quidem veluti innoxii eſſe, per alios autem delinquant atque furentur: hoc quod magis turpe eſt, ut & participes [2] injuſtitiarum ſumant. Ideoque licebit tuæ celſitudini honeſtiorum quosdam ad adminiſtrationes dirigere, & ſcientium tributa fiſcalia: curialium quippe & aliarum perſonarum experimentum ſui dantium bonum, & ad magiſtratus opportunorum. Quis enim non diligat eum, & honeſtate compleri magna putet, ſi noſtro decreto judicioque tui culminis ad cingulum veniat, teſtimonium quidem habens, quia ſit optimus, gratis vero eum ſuſcipiens: non vacans omnino per provincias ulli pravitati, nec quemadmodum quod [3] dedit congreget, nec unde colligat aurum, ſed ut hoc ſolum habeat ſtudium, Deo nobisque ſemetipſum commendare, & gloria frui optima, & recompenſationem ſperare præcipuam. §. 1. Si quis autem præter hoc aliquid egerit, & donec in adminiſtratione eſt judex, furti reus appareat, & probetur aut aurum dans ut [4] accipiat adminiſtrationem, aut accipiens ex adminiſtratione, (utrumque [5] enim ſimiliter noxium eſt) ſciat quia & confiſcationem & exilium ſuſtinebit, & in corpus verbera atque ſupplicium. Ipſum quoque qui acceperit ab eo (ſicut prædiximus) malis ſubjiciemus maximis. puras [6] enim exigimus eſſe provincialibus judicibus manus: ut collatores cuſtodiamus. Et iſtæ quidem tam ex legibus quam ex adminiſtrationibus imminebunt pœnæ iis qui in prædictis adminiſtrationibus ſunt, ſi tale aliquid egerint. Damus autem provincialibus licentiam, ſi quid apud provinciam injuſtum, qui adminiſtrationem habet, egerit: vel ſi damnis aliquibus aut calumniis ſubdat noſtros collatores: ut Deo amabiles epiſcopi & provinciæ primates, preces ad nos dirigant, exponentes cingulum habentis delicta. nos enim hæc agnoſcentes dirigemus in provinciam hoc examinaturum [7], quatenus ipſe ubi injuſtitiam fecit, illic [8] quoque pœnas ſubeat [9] delictorum: ut neque alter quiſpiam tale aliquid agere præſumat, ad exemplum [10] reſpiciens.

CAP. IX.

Ut præſides quinquaginta [11] *dies faciant in provincia ſua, poſtquam eis ſucceſſum eſt.*

NEceſſitatem [12] habente eo qui adminiſtrationem rexit, ſecundum priores conſtitutiones, dum depoſuerit faſces, dies quinquaginta [13] in provincia commorari, publice ſe monſtrantem, & ab omnibus ſuſcipientem conventiones. ſi tamen ante completos quinquaginta dies, fugiens capiatur velut aliquod inhoneſtiſſimorum mancipiorum: damus licentiam collatoribus detinere eum in provincia: & omne quod dederunt ei occaſione furti, hoc exigere, præſente tamen Deo amabili epiſcopo, & cauſam ex non ſcripto examinante, donec reddat omne quicquid furatus oſtenditur. ſed etiam ipſos provinciales, ſi ſenſerint adminiſtratorum furtum, licentiam habere, magis autem neceſſitatem, hæc referre nobis: ut cognoſcentes quia omnino auro vendidit juſtitiam, prædictis eum ſubjiciamus pœnis. ſuper quod etiam cœleſtibus ſuppliciis reus erit, tranſcendens jusjurandum in quo acceperit adminiſtrationem. Si autem voluerit ex quacunque cauſa non completis quinquaginta diebus ex provincia fugere: tunc comprehenſus ubicumque degere videtur, revocabitur quidem in provinciam in qua adminiſtrabat: omne vero quod inventus fuerit accepiſſe, reſtituat in quadruplum.

CAP. X.

Ut omnes provinciales præſidibus ſuis debitum honorem & ſolitas acclamationes deferant.

ILlud videlicet obſervandum, nullam eſſe noſtris ſubjectis licentiam in [14] alio quodam præter furtum hoc circa judices agere. Non enim ſi videatur vehementiſſimus indevotis propter fiſcalium exactionem, aut propter delictorum executionem, dabimus ſubjectis agere aliquid adverſus eum. Ex diverſo autem etiam pœnis eos omnium amariſſimis ſubjugamus, ſi eos qui puris uſi ſunt manibus, & fiſcalium exactionem cum omni detulerint ſubtilitate, poſtea deponentes adminiſtrationem injuriari præſumpſerint, & non cum omni favore poſt legitimum tempus provincias relinquentes deduxerint. Oportet enim eos qui poſt hanc legem noſtram faciendi ſunt clariſſimos ſubjectarum provinciarum judices, conſiderare quanta quidem perfruentur gloria tales apparentes: quantis autem ſint incurſuri difficultatibus, legem hanc ſolvere quantum ad ſe præſumentes. Erit enim abſurdum, ſi eos quidem qui in vilibus capiuntur furtis, ipſi torquebunt, & non primitus quieſcant donec reddant furta: ipſi autem innoxii manſerint in maximis conſtituti furtis, & neque apud ſubjectos erubeſcentes exemplum, cum liceat eis honeſtis & liberis & undique laudandis oſtendi, & a nobis habere teſtimonium & ſpem. §. 1. Non ſinimus autem nec ſpectabilibus judicibus, nec alteri alicui quamlibet eis oppreſſionem aut injuſtitiam inferre, aut civilibus omnino cauſis communicare: ut & nos eis honeſtatem ſervemus, & illi puritatem nobis devotionemque reſtituant. Sciant enim omnes ſubjecti, quia propter eorum utilitatem, & undique eorum indemnitatem, & ut per omnem agantur quietem, & non cogantur provincias [15] relinquere, & in peregrinis affligi, propterea præſentem legem ſcripſimus, Deo eam voventes, & præſentibus [16] venerabilibus maximæ [17] ejus communionis feſtivitatis diebus, ut [18] omnibus liceat patres ſuſcipere magis judices, quam fures & ſolicitatores, & eorum ſubſtantiis inſidiantes. §. 2. Oportet quoque [19] vos noſtros ſubjectos ſcientes quantam veſtri poſuimus providentiam, cum omni devotione publica, ſine imminutione tributa perſolvere: & neque adminiſtratorum egere neceſſitate, ſed ita devotos vosmetipſos præbere, ut nobismetipſis oſtendatur operibus, quia & ipſi pro hujusmodi clementia propriam nobis devotionem reſtituetis & merito habebitis omnem a judicibus occaſione devotionis favorem & providentiam: Illud ſcientes, quia judicibus imminet undique fiſcalium periculum, & manifeſtum eſt, quia proprio ſuo periculo adminiſtrationes aſſumunt, & vos hæc agnoſcentes, & omnimodo evitate indevotionem [20], & nolite veſtras voluntates ita præbere inobedientes, quatenus eorum præſidum egeatis vehementia, quam neceſſarium eſt eos aſſumere propter inevitabilem [21] fiſcalium exactionem: ſcientibus vobis noſtris ſubjectis, quia militares [22] expenſæ, & hoſtium incurſiones multa egent diligentia, & non poſſunt citra [23] pecunias hæc agi, cauſa videlicet nullam recipiente dilationem, neque nobis concedentibus deſpici Romanorum terram diminutam, qui & Libyam omnem reparavimus [24], & Vandalos [25] in ſervitutem redegimus, & plurima adhuc, & majora horum ſperamus a Deo percipere & agere, pro quibus competens eſt fiſcalia tributa ſine [26] imminutione & devote & ſecundum definita exigi tempora. Quapropter ſi vos quidem devote occurratis judicibus, illi vero facilem & [27] præparatam fiſcalium illationem in vos exhibuerint: & judicum laudabimus ſtudium & veſtram approbabimus voluntatem, & undique una quædam erit optima conſonaque præſidentium, & quibus præſident, congruentia magna.

CAP. XI.

Ut omnes Deo gratias agant hujus legis latæ gratia.

ITaque Deo & ſalvatori noſtro Jeſu Chriſto omnes ſimiliter offerant hymnos pro hac lege, quæ eis dabit & patrias habitare caute, & proprias facultates habere firmiſſime, & judicum frui juſtitia. Nam & nos propterea eam poſuimus: ut & juſtitiam, quæ in lege [28] eſt, valeamus domino Deo vovere, & nosmetipſos & noſtrum commendare imperium, & non videamur deſpicere homines oppreſſos, quos nobis tradidit Deus: ut eis per omnia parcamus, ejus ſequentes benignitatem. Ideoque quantum ad nos conſecretur [29] hæc lex Deo: eo quod nihil in mentem noſtram veniens boni pro tuitione ſubjectorum relinquimus. Volentes enim inhoneſta hæc & ſervilia [30] furta perimere, & noſtros ſubjectos in quiete a provincialibus judicibus conſervare: propterea feſtinavimus gratis [31] adminiſtrationes eis dare: ut nec ipſis liceat delinquere, & abripere ſubjectis, quorum cauſa omnem perferimus laborem, dedignantes [32] imitari eos, qui ante [33] nos imperaverunt, qui pecuniis [34] ordinabant adminiſtrationes: ſibimetipſis auferentes licentiam adminiſtratoribus nocentibus increpandi juſte, & ipſi ea quæ percipiebant, celando, juſti putati & proprios collatores propter hoc abripere a malis judicibus non valentes: unde nec ipſis judicibus increpare poterant agere caſte, occaſione prædictæ cauſæ. Nos autem ſufficientem imperio quæſtum eſſe putamus, ut collatores ſola fiſcalia conferant tributa, & nihil aliud extrinſecus quæratur, quod ſubjectis omnem commoveat vitam.

CAP. XII.

In quibus cauſis a præſide detenti, fori præſcriptionem non habeant.

QUod autem primitus a nobis dictum eſt adhuc majori opere, & ſubtiliori complecti exiſtimavimus legislatione, quatenus noſtra intentio omnibus fiat aperta. Sancimus enim clariſſimos ſubjectarum provinciarum adminiſtratores citra omne factos pecuniarum ſuffragium [35], & ab his dati jurejurandi [36] memores, habere, & hanc a nobis licentiam, ut nulla ſit ulli apud eos penitus fori [37] præſcriptio, neque in iis quæ committuntur ab aliquibus violentiis, neque in criminibus, & quæ hinc oriuntur læſionibus, neque in ſeditionibus publicis, neque in publicorum tributorum exactionibus: ſed omnes ſimiliter ſubjacere horum juriſdictioni, non expectantium neque præcepta ſuſcipere a judicibus, quibus ſubjecti ſunt, neque nuntiare ad eos, ſed contentos eſſe hac noſtra lege, per quam omnem eis poteſtatem præbemus: nemine licentiam habente penitus in prædictis cauſis neque privilegio uti quolibet, neque ex hoc ſibimet imperare, ut delinquat innoxie. Non enim qui omni abſtinent acceptione [38] judices, aliud quiddam Dei, & legis noſtroque præponent timori: ſed ad illum reſpicientes ſervabunt ſubjectis juſtitiam, omnia ſecundum noſtras judicantes, & agentes leges. §. 1. Quia enim milites, & hujusmodi in provinciis conſtitutos eis ſubjicimus: neque in hoc egebunt præcepto cujuspiam proprio aut a nobis, aut a noſtris Judicibus, ſed præſenti lege utentur, & hanc eis oſtendent, ut auxilientur [39] eis utentibus judiciali fiducia, ſcientibus quia niſi hæc egerint, & emolumentorum & militiæ ſuſtinebunt caſum, & in corpus periculum patientur: ut nobis nullo alio penitus opus ſit judice, & aut latronum inſecutores [40], aut appellatos violentiarum [41] inhibitores, magis autem fures aut violentos mittere occaſione quidem quaſi rationabili utentes, ipſos autem omnium peſſima facientes. Cum enim judices provinciarum uniuscujusque maximorum judicum compleant officium, & pro omni alio cingulo provinciis ſufficiant, & ad ea quæ ex noſtris legibus ſuper eis decreta ſunt: quis præſumat, aut fori præſcriptione, aut hujusmodi aliquo apud eos uti?

CAP. XIII.

De latrunculatoribus [42] *& viocolytis, & aphopliſtis.*

INterdicimus autem & glorioſiſſimo magiſtro militum Orientis, &

1 Παρεδρεύοντα, Scrimg. adſeſſorem, Julian. 2 Particeps delicti puniendus. 3 Dixi in principio §. *h. t.* 4 *In pr. & c.* 1. §. *h. t.* 5 *l. ult. Cod. ad l. Jul. repetund.* Sic epiſcopus qui ſuffragium dedit & qui accipit, puniuntur pari pœna, *l.* 31. *C. de epiſcop.* 6 Καθαρὰς, non corruptas. Cruenta mente, pura manu, Apuleius 4. *Florid.* 7 Ἐξετάζοντα, *enqueſteur.* 8 *Nov.* 69. *c.* 1. vid. *l.* 28. §. 15. *ff. de pœnis.* 9 Etiam durante magiſtratu. vid. Socinum *reg.* 249. 10 Exemplo peccari ſolet. 11 Vid. *Nov.* 161. *cap.* 1. 12 Hinc ſumpta eſt Authentica, Si vero. *Cod. ut omnes judices.* 13 *Novell.* 95. 128. 161. *l.* 1. *C. ut omnes judic. tam civil. quam crim. l.* 3. *C. de adſeſſorib. l.* 3. *C. de ſilentiariis. l. ult. C. de dignit.* hoc ſpatio temporis tutores ſe excuſare debent, *l.* 13. *ff. de excuſat. tut. l.* 6. *C. h. t.* 14 Senſus eſt: Licentia illa, de qua dictum *cap.* 9. §. provincialibus data eſt, ſi de furto arguere præſidem voluerint: in aliis cauſis ante dicta obſervatio ceſſat. Jul. 15 Facit *l.* 6. §. 5. *ff. de offic. præſid.* 16 Id eſt, inſtantibus. 17 Τῆς μεγάλης αὐτοῦ καὶ κοινοτάτης ἑορτῆς ἡμέραις. Scrimg. 18 Id eſt, id ſtudemus hac lege perficere, ut judices provincialibus ſint parentum loco *c.* 8. §. *h. t.* 19 Id eſt, oportet viciſſim vos (qui nobis eſtis ſubjecti) ſcientes &c. 20 Ἀγνωμοσύνην. 21 Ἀπαραίτητον, id eſt, inexcuſabilem. 22 Militares expenſæ moram dilationemve non admittunt. *ut hic.* 23 Pecunia nervus belli. *Leo Novell.* 52. *in princ.* 24 Recuperavimus. vid. *l.* 1. 2. *C. de off. præf. prat. Afr.* 25 Qui Libyam & Carthaginem occupabant. 26 Ἀνελλιπῶς. 27 Ex προχείρου, *preſte, & en main.* 28 Divina ſcil. 29 Imperator hanc conſtitutionem, Deo conſecrat *ut hic*: & vovet, *c.* 10. §. 1. *ſupr.* 30 Judicis peculatus, furtum ſervile. 31 Ut cum lucrum gratis accipiant, dent etiam & conferant ſuas operas gratis. 32 Pulchrum imperatori, non imitari ſcelera anteceſſorum. 33 Ante Juſtiniani tempora, dignitates erant mercales. 34 An æquum ſit & utile, dignitates pecuniis comparari, dixi *in princ.* §. *h. t.* 35 *c.* 1. §. *h. t.* 36 *c.* 7. *ſupr. h. t.* 37 Nemo in criminali cauſa, neque in tributorum exactione, neque in populari ſeditione, præſidi provinciæ objicit fori præſcriptionem. Julianus *hic.* adde *l.* 3. *in fin. ff. de off. præſid.* 38 Pecuniæ ſcil. 39 *Un juge peut demander main forte au premier venu*, *l. qui reſtituere.* 68. *ff. de rei vind.* 40 Vide *c.* 13. 41 Vide *d. c.* 13. §. *h. t.* 42 Vide Rittershuſ. *in expoſit. Novell. part.* 13. *cap.* 5. Anſ.